

129.

SVPREMO HONORI

ET

PIAE MEMORIAE

V I R I

CLARISSIMI DOCTISSIMI QVE

D O M I N I

**M. MARTINI  
BERTLEFFII,**

PROFESSORIS PVBL. IN GYMNASIO

THORVNENSI VIGILANTISSIMI,

CVM

D. XIX. IANVAR. ANNI MDCCCXII.

PLACIDE IN DOMINO OBDORMIVISSET,

ET

CORPVS IN TEMPLO MARIANO

SOLENNI ET CHRISTIANO RITV

D. XXV. EIVSD. MENS. ET ANNI

CONTVMVLARETVR,

AMORIS ET AMICITIAE CAUSA


HOC MONVMENTVM

L. M. Q.

DABANT

RECTOR, PROFESSORES ET COLLEGAE

IN GYMNASIO THORVN.



THORVNII,

Impressit IOHAN. NICOLAI, NOBIL. SENAT. et GYMNAS., Typographus





ADsta Viator,  
aures tuas ferit  
vox Kalatoris (\*) non quidem antiqui Romani,  
sed hodierni Christiani,  
quidni ipsius mortis?  
ferias indicentis,  
vetere veluti formula:  
UT IAM ABSTINEAS AB OPERE:  
argumentum est,  
sacrum novendiale [\*\*]  
pio celebrandum ritu,  
clarius:  
officium ferale perfolvendum  
Viro docto  
et ingenuarum artium Doctori  
in Gymnasio Thorunensi bene merito,  
M. MARTINO BERTLEFFIO,  
qui,  
peractis fere nundinalibus feriis,  
laborem finiit scholasticum,  
et  
cum denuo ingredi eum deberet,  
vacationes impetravit,  
extra opinionem e vita evocatus.  
Habuit patriam  
Siluis et altis montibus notam Regionem,  
Daciam,

altis

[\*] Ex Festo et Servio constat Praeclamitatores s. Kalatores dictos esse ap. Ro. qui Flaminibus antecedentes ferias solenni formula indicebant. vid. Sicama in fast. Kalend. et Barn. Briffon.

[\*\*] Nonus a funere dies ap. Ro. novendiale s. ap. Augustin. novendial vocabatur, quando exequiae celebrabantur.

altis alioqui non infocundam mentibus,  
minime solum sterile,  
si spectes ingenia,  
quae ibidem nascuntur.  
Scholae  
parentum decreto a puero destinatus,  
postea fere damnatus,  
educatus enim in ea et altus  
vixit et vivere desit.  
bonas artes ut hausit Thorunii primum,  
quo venerat e patria,  
ac quicquid sapientiae collegit in Regio monte et Dorpati,  
reddidit eidem,  
velut grati animi Symbolum,  
erudiendo iuventutem, et adiuvando diligenter.  
diceres,  
tranquilliolem vix potuisse contingere vitam,  
dum inter Musas in studio sapientiae aetatem egit:  
nec plane aberras.  
Sed in otio Scholasticam vitam degi,  
ab otio Scholam dici ratus,  
si putas, erras.  
Nihil enim diligentius hic pellitur, quam otium,  
intercipitur, cum optatur.  
exulare a Scholis iubetur, qui exultare in otio praecipit,  
iudicent aliter male feriat,  
fingant deformes ferias,  
faceffant sibi cogitationum negotia  
de otio scholastico, otiosi,  
nihil se cogitasse deprehendent,  
quin multo negotio nihil egisse,  
sciunt literati omnes,  
grave esse, discere literas,  
sed docere gravius.  
Qualis igitur quies, otium et feriae?  
ubi exigua portio  
longo incommodorum syrmate vindicatur.

Pro



contextuit quidam illud bene, detexit praeclare,  
 non ignarus horum omnium [\*\*\*]  
*Pro tam difficili plenaque labore palaestra*  
*Hi sunt thesauri divitiaeque meae.*  
*Pulveris absorpti drachmarum pondera centum*  
*Pedorum et bilis mixta selibra duum.*  
*Laesa valetudo, macies cum tusse, catarrhus*  
*Cum Peripneumonia, pallor in ore gravis.*  
*Ira, odium, invidia, et livor, contentio pugnae*  
*Nilque nisi in vacua Bibliotheca domo.*  
*Aere crumena carens, per pauca, aut gratia nulla*  
*Grandia magnifici lucra magisterii.*

Sed quicquid sit,  
 quaevis fors fortem requirit,  
 nec ullus est honos, ubi non onus.  
 facilius est molestias animadvertere,  
 quam avertere.

Acerbitates has fortunae, quin senserit beatus,  
 dubitare nemo potest.  
 Sollicitudines mitigavit solitudine,  
 coelebatum in terra habuit pro coeli statu.  
 frugalitate antiquis philosophis similior. (\*\*\*\*)  
 Melior ipsis tum in vita, tum post mortem,  
 olim pius, nunc beatus.

[\*\*\*] *Rektor olim Gothanus Christoph. Wienerus in Panegyri-  
 Sacr. L. XII. p. 209.*

(\*\*\*\*) *Natura beatus averfabatur potum generosorem, sola  
 limpida contentus. insigne tamen Dei beneficium, quod in  
 S. Coena vini symbolo uti sine nausea potuerit. Inter recen-  
 tiores celebris Ictus Andr. Tiragvellus, Fontiniacensis Pi-  
 Etavus notari meretur, qui tot liberorum pater, quot libro-  
 rum, (erant autem sex et triginta) auctor extitit, sola tamen  
 aqua pro potu usus. Meminit eius Thuanus Scævol. Sammar-  
 than. Scriptor Gallus libri: Le tableau de l'amour.*

nactus iam  
 ferias veras,  
 et vacationem a laboribus omni cura vacuum,  
 perpetuam quietem,  
 otium ingens,  
 sine molestia negotium perpetuum,  
 Abi Viator et cogita,  
 in vinculis esse in vita ferias.  
 veras autem ferias,  
 quae in coelo inchoantur,  
 ubi rectius proclamatur:

LITE VACENT AURES, INSANAQUE PROTINUS ABSINT  
 IURGIA, CESSET OPUS LIVIDA LINGVA TUUM.

Hoc subitaneum elogium Beato, Collegae  
 desideratiff. dare voluit

Petrus Iacnichius, R.



Ich bin fast auffer mir und wie vom Blich gerühret.  
 Ich dencke hin und her / und finde keinen Schluß.  
 Die Freude ist zerstöbrt / die Lust ist mir Ber-  
 druß /  
 Weil Gott mich unverhofft und oft zum Sterben führet.

Kaum daß ich meinen Fuß in dieser Stadt gesetzt /  
 Und mich zu dem bereit / was meines Amtes hier war /  
 So schloß ein Todes-Fall darauff das alte Jahr /  
 Wodurch Herrn NOGGENS Hauß mit Thränen ward ge-  
 nehet.

Sein Endel mußte noch in seiner Kindheit sterben /  
 Wie er vorher gesagt / so traffe es richtig ein.  
 Es solte dieses Kind vielleicht mein Lehrer seyn /  
 Daß man nicht zeitig genug den Himmel kan ererben.

Die



\* \* \*

Die Stunde kaum vorher da es nun scheiden solte /  
 Ward ich herzugehohlt: Nicht daß mein schlechter Rath  
 Ein mehrers konte thun/ als schon Herr Weiße that/  
 Vielmehr daß GOTT dabei mich etwas lehren wolte.

\* \* \*

Nun stirbt Herr Bertleff hin/ und fast in meinen Armen.  
 Denn als man mich gehohlt/ war schon die Seele matt /  
 Ich brachte Ihn entkräftt nach seiner Lägerstatt /  
 Es half kein Mittel mehr als GOTTES sein Erbarmen.

\* \* \*

O Jesu! Ich wil fort! war fast sein letztes Sprechen/  
 Nachdem Er auffgeweckt in etwas zu sich kam/  
 Worauff die Mattigkeit Ihn bald die Sinnen nahm /  
 Der Tod fing mächtig an das Francke Herß zu brechen.

\* \* \*

Blandina (\*) hieß der Tag/ da GOTT Ihn auffgenommen/  
 Und unser Hoffnung nach vor seinen Thron gestellt /  
 Wo JESUS sich zu Ihm als seiner Braut gesellt /  
 Weil nun die Stunde war zu seinem Heyl gekommen.

\* \* \*

Nun hast Du Deinen Lohn Herr BERTLEFF schon empfangen /  
 Den GOTT nach unsern Dienst in seinen Weinberg  
 gtebt/  
 Wohl dem! wer solchen Dienst in Fleiß und Sorgfalt liebt/  
 Und nicht durch Müßig stehn darff GOTTES Gluck erlangen.

[\*] Nach Herrn P. Paters, Prof. in Danzig Kunst- und Tugend-Salender.

\* \* \*

Es mag von Deinen Ruhm ein ander prächtig schreiben/  
 Dem dein getreuer Dienst mehr als mir ist bekant /  
 Ich bin ein Frembder nur in dieser Stadt und Land ;  
 Doch soll zu Deinen Ruhm hier diese Grab-Schrift bleiben :

HIC. MOLLITER. OSSA. CVBANT.  
 MARTINI. BERTLEFFII.

QVI.  
 DIEM. BLANDINAE. SACRVM.  
 DIEM. MORTIS. ESSE. VOLVIT. VT. EVITARET. BLANDIMENTA. FORTVNAE.  
 ET. SAECVLI.  
 SINE. BLANDITIIS. CVIVSDAM. BLANDINAE. MORTALIS. VIXIT.  
 REGINAM. VERO. PHILOSOPHICAM.  
 ET.  
 SOPHIAM. RATIONALEM.  
 GESTAVIT. IN. OCVLIS.  
 ET. ANNVLVM. PRONVBVM. AB. VTRAQVE. ACCEPIT.  
 SIC.  
 DIGAMVS. ET. ATAMOS.  
 FVIT.

L. M. Q. P.

GEORG. PET. Schulz/D. P.P.



*C*um reparant nostri Patroni Gymnadis artes  
 Praeficiuntque suae membra decora Scholae.  
 Cum pulchro Gymnas cupit efflorescere fructu,  
 Antiquumque sui constituisse decus:  
 Cum Martis duri, sed opaci fulmina sentit,  
 Non tamen exanimem ducit anheia diem.  
 Arma inter leges disciplinaeque triumphant,  
 Quilibet officii vult satur esse sui.

Index



*Index sive typus pensorum sive laborum  
Exantlandorum scribitur absque dolo.  
Letificos vultus exporrigit ipsa Juventus,  
Et studiis fervet mens operata probis.  
Hæc tacito secum ducit suspiria voto:  
Nostra salus, nostrum quam bene cedet opus  
Quod vix in Ludis aliis addiscere nobis  
Non licet, hoc noster Ludus amœnus habet.  
Græca simul doctis jungemus Verba Latinis,  
Ut referat docti nomina quisque Viri.  
Theiologi, Medici, nostras labentur in aures,  
Mox Ethici & Vates dogmata rara dabunt.  
Historicus referet, sit quidquid in orbe polito  
Veri, quisquiliæ spernet & ejiciet.  
Orator surget, Cathedras Sapiencia nostras  
Ornabit, Musis non Chorus unus erit.  
Nunc celeri cursu pergemus ad atria docta,  
Discemusque novis mentibus omne bonum:  
Hæc cum læthantes resonant pia gaudia mentes.  
Et cupiunt Musis invigilare novem;  
Mors venit, atque jubet lætas modulamine voces  
Rumpere, quin Citharas frangere Threicias;  
Quan-*

*Quando Professore non uno nomine clarum,  
At satis incautum sub sua jura vocat.  
Fallit in audaci fallax Morbona cubili,  
Quodque facit nulla cum ratione facit.  
Qui procul esse putat mortem, sibi falsa propinat,  
Namque trabunt celeres otia docta dies.  
Dum membris flammisque suis subducitur humor,  
Parte tui infirmus nobiliore cares.  
Si vivis, viresque capis: surgisque cadisque:  
Et socio vadunt morsque salusque gradu.  
Lethum non lætum nequit vitare Professor  
Bertleff: undecimum dum superavit onus.  
Annorum mensesque decem, petit incluta cæli  
Culmina, sed mentis parte superstes erit.  
Quo puteus nostri reparatur tempore ludi,  
Hoc potator aquæ [†] transit ad astra poli.  
Hunc ego discipulum docui facilemque piūque,  
Et defendit, me Præside, dogma bonum. [\*]  
Hinc properogressu Musas contendit ad almas,  
Quas fluvius lambit Pregela fluctibus.*

) Per omnes vita dies solo aquæ potu usus est.

) Sub Præsidio meo publice de Exodo Puerorum Hamelensium disputavit.

*Jpsi*



*Ipsi Dorpatum nomen titulumque Magistri  
Contulit, & doctæ sceptrâ regenda Scholæ.  
Post ad nos rediens mibi fit Collega secundus,  
Et multas mecum pertulit ille cruces.  
Jam requiescit humi, cælo sed redditus alto  
Spiritus æternis vivit ovatque modis.*

*Collega & Amico nunquam  
reconciliato mortuus*

*M. Martin. Böhmi.*



**O***Tia, quæ mentem recreant, quæ corpora firmant,  
Indunt, ut constat, nomina blanda scholis.  
Sed tamen est illis vox aspera dicta Severi  
Ore, Laboremus: tessera vera magis.  
Sisyphium saxum dum volvunt atque revolvunt  
Versantes in eis, nec datur ulla quies.  
Hinc a Te petitur requies, præclare Professor,  
Cui comes est perpes consociata salus.  
Ergo fruaris ea: recubent tua molliter ossa  
Vox ea dum menti reddat adempta Dei!*

*Imque ser.*

*Henricus Würffel.*




**D***ebeo nempe tuis, Bertleff Clarissime, fatis  
Versus, exequiis debeo vota tuis.  
Pacem animæ in cælo: Carni sub mole sepulcri  
Felicem requiem voce meâ voveo.*

*At*

*At nos interea, donec Deus ire jubebit,  
Hic erimus memores laudis ubique tuæ.  
Dumque suas sylvæ frondes, dum germina campi,  
Sidera dum cælum, dum vebet amnis aquas,  
Ingenii monumenta tui, pietasque manebunt,  
Candorisque tui fama perennis eris.*

*Lugens ser.*

*Jacobus Schmidius,  
Gymn Coll.*



**M***ercatus modo concesserunt tempora la-  
psa  
Assiduis studiis otia blanda Scholæ.  
Quo mens & corpus robur viresque resumant,  
Ac mage post vigeat sedulitatis opus.  
Sed tua flaccescunt hoc tempore languida membra,  
Doctor clare, nec ad pulpita doctâ redis.  
Scilicet indicunt Tibi finem fata laborum  
Ac sic concedunt otia vera Tibi.  
Inter cælicolas Tibi perpes parta voluptas  
Cumque quiete salus, cumque salute quies.*

*Ultimum affectum testabatur*

*Paulus Dubbermann,  
Gymn. Coll.*



**G**ymnasi non est Doctorum copia magna,  
Et tamen hic non sunt funera rara nimis.  
Nunc unus quoque Doctorum sua pulpita lin-  
quit,

Inque necem vita deficiente ruit.  
Ille repentina est præter spem morte peremptus.  
Ut citius caperet gaudia larga poli.  
In terris non sunt nobis habitacula tuta,  
Certior in cælis mansio detegitur.

l. f.

Jonas Bogmukowski,  
Gymn. Coll.

